



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VII. De ætate requisita ad matrimonium contrahendum, & de pubertate,  
& quando malitia suppleat ætatem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

fiatione vim quidem sponsalium de futuro habet, & impedimentum publicæ honestatis parit, matrimonium tamen, ob defectum legitimæ ætatis, non est, nec lapsu tantum temporis, si ætas v. g. compleatur, in matrimonium de præfenti conualefcit, juxta *reg. 18. non firmatur*, nisi per novum consensum præfentum, expressè, vel tacitè ratificetur & approbetur.

## §. IV.

An, & quatenus filii, ex sponsalibus per Patrem pro se contractis, obligentur?

Si parentes, pater scilicet, vel mater, pro filiis sufficientem ætatem, & usum rationis habentibus, sive puberes illi sint, sive impuberes, contrahant, ita ut hi expressè consentiant, vel saltem tacitè, non contradicendo, cum tamen possent, & præfentes fuerint, valet (cæteris paribus) matrimonium tale, vel sponsalia talia, & ex illis oritur publica honestas; non tamen valet contractus talis à parentibus factus, si factus fuit, absentibus liberis, & ignorantibus factum parentum, etiam si postmodum, quando factum suorum parentum rescunt, taceant, & nihil contradicant, sed ad valorem taliter contractorum sponsalium, aut matrimonii requiritur expressus, vel tacitus saltem absentium liberorum consensus, juxta *cit. cap. unicum*

*in 6. h. t. §. Porro.* videatur etiam *c. Tua 1. h. t.* & quæ habet Auctor Method. tam in hoc, quam sequentibus duobus §§, *ex c. Continebatur 6. & c. Ex literis 11. h. t.* & pluribus aliis sufficienter jam explicatis, & post Tridentinum vix alicujus usus.

## §. VII.

De ætate requisita ad matrimonium contrahendum, & de pubertate, & quando malitia suppleat ætatem?

Matrimonium validè contrahere non possunt, qui nondum ad legitimam ætatem à Canonibus præscriptam pervenerunt, ita ut nullum sit matrimonium ex defectu ætatis, quod contrahitur à fœmina ante duodecimum ætatis annum completum, à masculo verò ante decimum quartum ætatis annum completum, qui anni de jure communi in utroque sexu anni pubertatis habentur, nisi in casu causæ urgentissimæ cum illis, qui proximi sunt pubertati, ab Episcopo v. g. dispensatum fuerit, vel malitia suppleat ætatem, prout sumitur ex *c. Vbi non est 2. & c. De illis 9. h. t.* censetur autem malitia supplere ætatem, si potentiam habeant ad generandum, & rationis judicium sufficiens ad cognoscendum statum conjugalem, & ejus perpetuum ac indissolubile vinculum.

